



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 28. Sessio octava, Decretaque Synodi translatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

debat, eoque prælecto Sessio sequens Sæcul. XVI. A.C. 1547.  
 ad alteram diem undecimam Martii in-  
 dicebatur, prius tamen Legati deman-  
 darunt Severolo Concilii Promotori,  
 ut de morbi contagio, atque imminen-  
 te aeris corruptione legitime cognosce-  
 ret.

§. XXVIII.

*Sessio octava, Decretaque Synodi  
 translatio.*

Altera die, prout fuerat indicta, ce-  
 lebrabatur Sessio octava, cunctis-  
 que Patribus in Ecclesiæ Cathedralis  
 aula congregatis, necnon Pontificio  
 habitu indutis, cunctisque ritibus, pre-  
 cibusque de more perfolutis Monta-  
 nus Cardinalis ea, quæ ante unum  
 duosque dies dixerat, paucis repetiit,  
 præcipue vero denuo asseruit, quod ip-  
 se, ejusque Socius æque ad disceden-  
 dum, quam Tridenti permanendum ef-  
 sent parati, prout Synodi Patribus li-  
 beret, quamvis proniores ad discessum  
 viderentur: his dictis fusius recensuit,  
 jam aliquo ex tempore ortas esse in  
 Tridentina Urbe febres adeo pestiferas,  
 ut eo morbo quamplurimi indies extin-  
 querentur, atque ex duorum & quidem  
 exterorum Medicorum testimonio in-  
 gens strages diutius Tridenti moranti-  
 bus immineret. Hæc Cardinalis tam

Pallav. l. c.  
 Labbe Coll.  
 Conc. t. 14.  
 p. 784 & seq.  
 Raynald. hoc  
 ann. n. 46.  
 Extat in De-  
 cret. Conc.  
 post Sess. 7.  
 & in actis  
 Arch. Aque.  
 Spond. hoc  
 ann. n. 4.



Sæcul. XVI. A.C. 1547. gravi verborum pondere urgebat, ut facile colligi posset, quod ei potius discedendi consilium probaretur, ejusque animus, quem ad utrumque æque paratum præferebat, haud adeo sincerus fuerit, hinc scripta Medicorum, aliorumque testimonia, ac consultationes recitari jussit.

## §. XXIX.

*Decretum pro Concilio Bononiam transferendo.*

**H**is ita peractis Montanus edicebat, nil reliquum esse, nisi ut pro Synodo Bononiam transferenda prælegeretur Decretum eo conceptum tenore, qui plerisque Patrum in nupero Conventu placuisset, eratque hujusmodi:

*Pallav. n. 2. Labb. p. 785.* *Placetne vobis decernere, & declarare, de hujusmodi morbo ex præmissis, & aliis allegatis ita manifeste, & notorie constare, ut Prælati in hac civitate sine vitæ discrimine commorari, & in ea idcirco inviti minime retineri possint, & debeant? itemque attento recessu multorum Prælatorum post proxime præteritam Sessionem, & consideratis protestationibus aliorum complurium Prælatorum in Congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui juste detineri non possunt, & ex quorum discessu Concilium vel*

*dissol-*